America
Denniston



John Carter Brown
Library
Brown University

Denniston, W.
c1699

AD
Ampliſſimos ſimul & Conſultiſſimos Viros,
SOCIETATIS
SCOTICANÆ
AD
AFROS & INDOS
NEGOTIANTIUM
Rectores & Adminiſtratores
ÆQUISSIMOS, &c.

EIA age veliferas nunc inſtrue, *SCOTIA*, puppes
Ut vaſtum introëas pelagus, genteſque remotas
Claſſe novâ inviſas, peregrino ut littore merces
Advectæ noſtris tutò exponantur in oris,
Civibus unde tuis accreſcat reſque decuſque,
Et clarum referant ventura in ſæcula nomen.
Hactenus externis longinqui in partibus orbis
Nulla parata ſatis fuit ad commercia claſſis:
Nunc verò poſtquam liquidi trans æquora ponti
Tutum iter atque patens datur ad commercia veſtris
Navibus, & nummus non deficit unde parentur

Omnia quæ tantis videantur idonea cœptis,
Scotia florebis (niſi vanum decipit omen)
Divitijs cumulata novis quas Africa mittet
Fertilis, & fuſcis quæ portabuntur ab *Indis*.
Ne tibi pauperiem pòſt audeat *Anglia* demens
Objectare, opibus ſolis & claſſe ſuperbâ
Te prior. At Bello *Scotorum* maſcula virtus
Ante alias gentes longè præluxit avitis
Temporibus, nec adhuc *Scotorum* gloria marcet.
Græmos invictos taceo, & ſine compare *Vallam*,
Duglaſioſque acres genus inſuperabile Bello.
Quorum tantus erat duro in diſcrimine Martis
Terror, ut ipſorum vel nomen pænè fugaret
Attonitos hoſtes, trepidoſq; excedere pugnâ
Cogeret, agna lupum veluti fugit atq; leonem.
Hic memorare queam quo pacto *Bruſſius* ingens
Contudit *Edwardum* numeroſo milite fretum ;
Exiguáq; manu citò vertere terga coegit.
Cujus adhuc teſtis locuples eſt *Banocus Amnis*.
Nec celebranda minus noſtrorum eſt fervida Virtus
Navali in pugna. Docet hoc clariſſimus olim
Andreas Vodius ſeu *Silvius* inclytus armis,
Qui quinq; Anglorum naves in littore *Forthæ*
Cuncta infeſtantes, prædonum more, duobus
Navigiis tantum adjutus, devîcit; & omnes
Perduxit captas *Letham*; Regiq; Magiſtros
Obtulit ipſarum. Cui præmia larga dabantur
Protinus, ut Regem decuit civemq; merentem.
Qui triſtis rumor poſtquam pervenit ad aures
Henrici Anglorum Regis, maculamq; pudendam
Nominis hanc Angli deletam expoſceret, ad ſe
Ipſe ſuæ claſſis Præfectos convocat omnes.
Expoſitoque palàm quàm fœdum dedecus eſſet
Quinque ſuas naves Regali è claſſe, duabus

Scotorum

RPJCB

Scotorum à ratibus longèque minoribus, eſſe
Devictas ſimul & captas: Ita turbidus infit.
Si qua, viri fortes, vobis arrecta cupido eſt
Infamem delere notam quam *Silvius* iſte
Exultans animi nobis modò *Scotus* inuſſit;
Macti eſtote animis, naves præbebo paratas,
Inſtructamque manum tumidum quæ conterat hoſtem.
Quem quicunque mihi vivum cæſumve reportet
Magnus erit nobis, ſpoliiſque ornatus abibit.
Hæc ubi fatus erat tenuêre ſilentia cuncti,
Attonitiſque hæſêre animis, bellumque recuſant.
Tantum nempe injecit terrorem *Silvius* iſtis.
At *Stephanus Bullus* præſtanti pectore & auſis
Et generoſus Eques rem ſuſcipit. Et ſimul illi
Tres validæ naves à Principe dantur, in omni
Re pulchrè inſtructæ, nautiſque & milite forti
Armatæ rectáque ad *Fortham* navigat, illic
Sub Maiam opperiens, tutâ in ſtatione, rediret
Donec ab externis (ubi erat tunc) *Silvius* oris.
Poſt paucos redit ille dies, viſuſque repentè
Agnitus à *Bullo* eſt. Præfectus & alterutrinque
Se parat ad pugnam velut in certamina tauri
Concurrunt, totis in Martem viribus itur.
Acer & exoritur conflictus utrinque, nitentem
Donec cœca diem tenebris nox condidit atris.
Ut primum lux alma data eſt, ſpe plenus uterque
Ductor init pugnam, & cupidè nova prælia miſcet.
Sic certamen atrox multo cum ſanguine ſurgit.
Stat ferro conſerta acies, pugnatur ab illis
Tanto ardore animi vix quanto exercitus ullus.
Donec ad extremum validus ſe dedere *Bullus*
Cogitur, & noſtro ceſſit victoria *Scoto*.
Ardua tum *Silvî* magnis ſuper æthera virtus
Laudibus evehitur, meritoque ornatur honore.

Tanta ſed emicuit tùm magnificentia noſtri
Principis, nt *Bullum* pulchrâ virtute decorum,
Præfectoſque alios, una cum navibus ipſis,
Captivoſque domum incolumes dimiſerit omnes.
Quippe ſuos non de prædâ certamen inire,
Sed decus ob gentis ſtricto decernere ferro,
Virtutemque ſibi oſtendit vel in hoſte probari.
Jam geritur bellum collectis viribus amplis
Adverſus Gallum magnum invictumque Monarcham.
Quis quæſo illius tantum furialibus auſis
Obſtat, ut agreſtes homines quos *Scotia* nutrit
Intrepidi contra ferrumque igneſque ruentes?
His primùm muros conſcendere, cominus hoſti
Occurſare datur, cuncta atque ſubire pericla.
Et ſicut verè *Noſtras* "Sine milite *Scoto*
" Nulla unquam *Francis* fulſit victoria caſtris.
Sic etiam adverſus *Francos* ſine milite *Scoto*
Nulla unquam *Flandris* fulgebit gloria caſtris.

Sed quo Muſa ruis? tibi mercatura fuiſſet
Hic laudanda, feri non arma tremenda Gradivi.
Nunc cane, quid lucri, quot quantaq; commoda genti
Acceſſura putes, vel mercatoribus ipſis
Quorum operâ hæc tanto geritur res magna labore?
Quicquid apud nos eſt quod vendi poſſit ad illos
Exportetur, uti redeat cum fœnore certo
Pro ferro, argentum; pro plumbo, æs nobile & aurum.
Quare operi artifices vos læti accingite cuncti
Nulla manus ceſſet, corrumpunt otia pigros.
Grande laboris erit pretium. Fabricanda colonis
Inſtrumenta omnis generis ſunt raſtra, ligones,
Marræ, rutra, & ſerræ, tudites, terebella, ſecures,
Forſiculæ, cultri, limæ, validæque bipennes,
Cum pænè innumeris quorum vel maximus uſus.

Plu-

Plurima vaſa itidem, cacabi, caldaria, & ollæ,
Candelabra, truæ, pateræ, mortaria, trullæ,
Et quæcunque domûs nitidæ ſolet eſſe ſupellex.
Porrò enſes, ſicæ, tormenta boantia cœlo,
Sclopeta, ac glandes, catapultæ, Martis & arma
Cætera, quæ veſtris vim pellant navibus omnem.
Nec parvos referet vobis piſcatio fructus.
Addent & quæſtum tum pannus lineus atque
Laneus; & veſtes jam factæ pallia, lenæ,
Calceoli, caligæ, chirothecæ, pilea, pallæ.
Ex quibus & multis aliis tot commoda genti
Provenient, quot adhuc non unquam *Scotia* vidit.

Jam memoranda tibi venit importatio vaſta
Quam referent puppes cunctis ex partibus orbis.
Scilicet albentes baccas fulgore micantes,
Sericum, ebur, gemmas, argenti, pondera & auri,
Saccharum, & Attalicas veſtes, pictoſque tapetas,
Balſama, odora, oleum, fragrantia aromata quæque,
Unguenta, ac ſuccos, & ligna medentibus apta.
Goſſipium, & varios fructus, generoſaque pæti
Munera, vim feſsis roburque ferentia membris,
Menſarumque decus præſtantia dona *Lyæi*.
Multaque præterea Quæ ſi comprendere coner
Carmine, nulla dies tanto foret æqua labori.
Quando igitur tantos liceat decerpere fructus
Mercibus ex illis, Quid non ſperare queamus
Sub tantorum hominum auſpiciis, ratione ſagaci
Qui præclarum opus hoc perfectè abſolvere norunt?

Jam verò tempus monet, Ingenioſa Propago,
Inclyta ut ore feram veſtrarum encomia laudum,
Queis curæ eſt patriæ lucem ſuperaddere veſtræ,
Splendoremque ſimul; quò *Scotia* ſurgat avita
(Hucuſque à Fatis nimiùm depreſſa ſiniſtris.)

Flo-

Florida & aucta opibus, nomenque ad ſidera tollat.
Pergite, felices animæ, conſurget Olympo
Laus veſtra, & ſæclis decus addet grande futuris.
Et quantò poſſint majora pericla videri
(Siqua ſubeſſe queant) tantò eſt audentius illis
Contra obnitendum: Vim vi nam pellere pulchrum eſt.
Sed quid ego hæc memorem? via tuta & trita patebit.
Publica namque fides confirmat cuncta futura
Integra, & immunes à cenſu omnique tributo
Declarat ſocios veſtros ſeptem ter in annos;
Quo ſpatio immenſas gazas cumulare licebit.
Non bello ſedes quærendæ, aut triſtibus armis;
Mercibus at merces mutandæ, aut ære ſoluto.
Piratis liceat miſeros exſcindere ferro
Indigenas, furum & de more, aſueſcere rapto.
At vos, Ingenioſa Cohors, veſtroſque colonos
Sors melior manet, & ſucceſſum ſidera ſpondent.
Quos Deus incolumes longæva in ſæcula ſervet.

Sic Optat & Orat,

Ampliſſimæ Societatis veſtræ

Addictiſſimus Cliens,

Gualterus Denneſton.

Nomina

Nomina Navium ad hanc Expeditionem fabricatarum.

1. *ORIENS SOL.*

PHœbus ut *Eöis* ſurgens pulcherrimus undis
 Irradiat terras poſteà luce ſuâ :
Sic ego longinquas terras, duce numine, viſam;
 Et mox in magnâ luce redibo domum.

2. *CALEDONIA.*

PRima Caledoniis feror huc feliciter oris,
 Multa Caledoniis omina læta ferens.
Nam maris indomiti furias, Chriſto auſpice, vincam,
 Et grandi cives merce beabo meos.

3. *SANCTUS ANDRÆAS.*

SAnctus ut *Andræas* ex piſcatore puſillo
 Præco Evangelii poſteà ſummus erat:
Sic ego cum populo externo commercia tractans,
 Rem noſtris, illis dogmata ſacra feram.

4. *MONOCEROS* ſive *UNICORNIS.*

UT fera pulchra ſuâ cornu mirabile geſtans
 Fronte, hoſtem validis viribus uſq; ferit,
Præbet & antidotum contra lethale venenum :
 Sic mea vis hoſtes pellet, amica bonis.

5. *RUBER LEO.*

NE fruſtra hunc titulum dederit mihi *Scotia* faxim ;
 Nam Leo ut obſtantes diripit ore feras,
Sic ego pugnacem contundam viribus hoſtem,
 Ceſſuro at veniam ſponte lubenſq; dabo.

6. *CAR-*

6. *CARDUUS.*

Carduus ut ſpinis horrendus ſurgit acutis,
Ægra tamen medicâ corpora ſanat ope;
Efficiam pariter ne quis me impunè laceſſat
Viribus: at miſeris ſemper amicus ero.

7. *DELPHINUS.*

Piſcibus ut delphis nando præit omnibus unus,
Ociùs & telo per mare carpit iter:
Præpete ſic curſu vada cæca ſinuſque pererrans,
Mox ego monſtrabo tuta & iniqua loca.

8. *CONATUS,*

Quid non conabor? quæ non diſcrimina inibo
Quò poſſim patriam ritè juvare meam?
Namque favente Deo per ſumma pericula pergam,
Huc illuc noſtris nuncia læta ferens.

VOTUM.

Ecce jam claſſis nova *Scoticana*
Anchoras ſolvit, levibuſque ventis
Vela dat lætis avibus, remota in
Littora tendens.

Æolus vaſtæ dominator aulæ
Proſperis ventis vehat, & ſecundo
Amne per pontum ferat ipſe Nereus
Rector aquarum.

FAuſta jam læto pueri & puellæ
Accinant plauſu, & fremitu ſecundo:
Et ſenes parci ſaliant videntes
Claſſem abeuntem.

Vota nec ceſſent Deus ut benigno
Numine hanc afflet, reducemque noſtris
Mercibus plenam, procul à periclis,
Siſtat in oris.

F I N I S.

4/-

D
Scott
127 b